



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. II. Potentiæ acquirendæ & augendæ princeps studere debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT II.

Potentia acquirenda, & augenda princeps
studere debet.

Omni con-
silio poten-
tia est augē-
da.

Non est ex-
emplum vbi
respub. bonis
consiliis vsa
perierit.

Iusta poten-
tia.

Necessaria
est potentia.

Iustitia sine
magna po-
tentia non
defenditur.

Dauid
288000.
satellitum
habuit.

§. 1. IN rebus tam incertis & fluxis consilio, & ratio-
ne est vtendum, quanquam enim nunquam
Respublica intereat, nisi cum consilia corrupta
sunt, possent tamen etiam bona consilia esse inuali-
da, & carere successibus. Sed vt dixi, nulla Respubli-
ca perijt nisi corruptis consiliis; huius enim rei exem-
plum notidum inueni. Hinc ad principem, senatum-
que pertinet, de stabilienda, firmandaque & augenda
potentia semper cogitare, idq; agere, vt nulla dies sit,
qua non adijciatur aliquid virium Reipublica. Quā-
quam enim pleraque ex occasione pendent, infir-
ma tamen maxime percelluntur, quoque minus po-
tes, hoc plura exigeris. Plaga quæ languidum deijcit,
fortem excitat, quæque preces extorquet ab ignauo,
suscitat robur irati. Nihil rerum mortalium tam flu-
xum, quam potentia, sed multis modis tenenda est,
ne de manibus effluat, fluxa res sanitas, quæ sine tot
artuum humorumque legitima contemperatione, &
integritate, aeris insuper, ciborumq; salubritate con-
stare non potest, nec ideo tamen negligitur, sed ma-
gna cura, impendioque seruatur.

§. 2. Potentia comparanda ratio iusta ineunda est;
nam qui inferioribus iniuriam inferunt, deinde eo-
rum viribus auctiores ditioni suæ alios subiungant, in-
iuriam prorsus faciunt. Et potentiam fragili funda-
mento, hoc est iniuriæ superstruunt. Multa enim ma-
la facit effrenis potentia, ideo facile corrui.

§. 3. Causa cur paranda sit potentia est in promptu,
quia sine illa patriam tueri non possumus, cum enim
numerus cupidorum, atque improborum sit maxi-
mus, iniquitatem sine potentia perfringere Respubl.
non potest. Præda igitur subditi erunt, omnium pe-
tulantiæ, rapacitati, violentiæ, crudelitati obnoxii,
nec ipsi tuti principes, sed contemptui erunt, & pre-
catio regnabunt, ius enim regni sine potentia perin-
de habet, vt sine anima corpus, & statua est, non vita.
Cum igitur imperium sit institutum ad omnes & sin-
gulos ab iniuria defendendos, & si læsi sint, vindican-
dos, atq; in integrum restituendos, societatem ciuium
conseruandam; hunc finem princeps eneruis, & in-
ualidus assequi nequaquam valet. Non ergo pruden-
ter faciunt illi, qui ita ciuitatem instituunt, vt nec à
vicinis principibus, nec piratis, & latronibus, nisi ali-
ena potentia tuti esse possint. Iustitia sane patronum
fortem, & antistitem inuictum desiderat.

Exemplum comparanda potentia sit nobis rex il-
le secundum cor Dei, rex & propheta Dauid, cuius
potentia in regno non maximo mihi pene maior om-
nium regum viribus videretur. Nā præter populum,
magnum numerum militum aluit, ita describitur i.
Par. c. 27. Filij autem Israel secundum numerum suum, prin-
cipes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui mi-
nistrabant regi iuxta suas turmas, ingredientes & egredientes per
singulos menses in anno, 24. millibus singuli præerant. Pri-
ma turme in primo mense Iesbiam præerat filius Zabdiel, &
sub eo viginti quatuor millia. De filiis Pharis, princeps cuncto-
rum principum in exercitu mense primo. Secundi mensis ha-
bebat turmam Dudia Abobites, & post se alter nomine Macel-
loth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium.
Dux quoque turme tertia in mense tertio, erat Banaias filius
Ioiada sacerdos: & in diuisione sua viginti quatuor millia. I-
pse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta præ-
erat autem turme ipsius Amizabab filius eius. Quartus mense
quarto, Asahel frater Iobab: & Zabadias filius eius post eum,
& in turma eius viginti quatuor millia. Quintus mense quin-

to princeps Samaoth lezerites: & in turma eius 24. millia. Se-
xtus, mense sexto, Hira filius Acs Theuites: & in turma eius
24. millia. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis
Ephraim, & in turma eius 24. millia. Octauus, mense octauo,
Sobochai Husathites de stirpe Zaiat: & in turma eius 24.
millia. Nonus, mense nono, Abiezzer Anathothites de filiis Ie-
mini, & in turma eius 24. millia: Decimus, mense decimo,
Marai, & ipse Netophathites de stirpe Zarai: & in turma eius
24. millia. Vndecimus, mense vndecimo, Banaias Pharathon-
ites de filiis Ephraim, & in turma eius 24. millia. Duodecimus,
mense duodecimo, Holdai Netophathites de stirpe Gorthoni-
el: & in turma eius 24. millia.

En tibi aulae regie præsidium; præter satellites or-
dinarios, ministros, turbamq; viginti quatuor millia.
Quorum ista copia: 1. Dignitati regie asserenda, quis
enim rebellet, cum tot præsidia in vrbibus, & in regia
exercitum videret? 2. Vt à vicinis timeretur, erant
enim viri fortissimi; nam quemcunque virum sortem &
indutrium viderat, eum sociabat sibi. 3. Vrbem regiam eo
modo illi strenue efficiebat. 4. amorem tribuum sibi
conciliabat, armorum studium fouebat, in illa enim
regni luce, in conspectu fortium Dauid sese in illa a-
cie, prætorianæ militiæ exercebant. Et mirum in mo-
dum studium rei militaris accendebatur, cum de or-
natu armotum, dexteritateque tribus concertarent.
6. Hac etiam occasione in vrbe regia, vbi sacerdotum,
& virorum doctorem copia erat, in religione facili-
me instituebantur. Nec contra præceptum diuinum
peccabat Dauid; nam opes, & satellitum ad tutelam
subditorum, & compescendos populos, quos bello
subiugarat, sine Israëlitarum damno collegerat. Sed
quid ego de Dauide loquor? Ecce tibi Josaphat re-
gem duarum tribuum, Juda, & Benjamin, eius poten-
tia describitur in hunc modum. 2. Par. 17. 14. Viri quoque
bellatores & robusti in Ierusalem erant, quorum iste numerus
per domos, atque familias singulorum. In Iuda principes exer-
citus, Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia.
Post hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta mil-
lia. Post istum quoque Amasias filius Zechri consecratus Do-
mino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. Hunc seque-
batur robustus ad prælia Eliada, & cum eo centum arcum,
& clypeum ducenta millia. Post istum etiam Iozabad, & cum
eo centum octoginta millia expeditorum militum. Hi omnes
erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in vrbibus
munitis, in vniuerso Iuda.

Quis non miretur in tantillo regno vndecies cen-
tena & sexaginta millia? Nec miles ille in præsidio,
sed ad manum regis; nam per vices aderat aula, &
ad subita negocia mittebatur. Diserte enim excipit
urbium prædianarios, eosque in vrbibus, & in vniuer-
so Iuda.

Eodem capite v. 2. alij prædianarij sunt in captis vr-
bibus. Constituitq; militum numeros in cunctis vrbibus, lu-
da quæ erant vallata muris.

Mihi hæc consideranti incredibile pene videretur
nisi Scriptura diceret; deinde parum esse, quod de
magnitudine Romana dicitur. Hos enim milites si-
ne tyrannide rex alebat, nec tributis subditos exha-
uriebat, sed omnium rerum abundantia eos implebat.
Quin etiam edificauit in Iuda domos ad instar turrium, vr-
besque munitas. Hanc tantam potentiam Deus vni-
co regno contulit, quod deinde vnius prouinciæ Syria
fuit appendix, pars quota imperij Romani? Verum
ille qui vere potens est, in tam paruulo regno, tam
magnam potentiam ostendit. Tantum enim absuit,
vt tanto exercitu erarium exinanierit, aes alienum
contraxerit, oppida oppignorarit, iura, immunita-
temque vendiderit, vt in super thesauros eumularit,
nam v. 13. Et multa opera parauit in vrbibus Iuda. Hebra-
us: & fuit ei multum opus, וְהָיָה עוֹמָדָהּ עַל הָאֵרֶץ.
Vocat autem aedes וְהָיָה עוֹמָדָהּ, nam sunt palatia, rem-
pla, edificatio. Sic Esdræ 8. 2. וְהָיָה בָּגֵרָה אֶת הַיְּהוּדִים, &
Daniel.

Dignitati;
& præsidio
exercitus est
opus.

Exercitatio
armorum.

Josaphati
potentia.

Numerati-
uitates, &
singulisq;
prædianarij
imponere.

Summa
potentia Iosaphati.

Daniel c. 2. Erat in Sufis, & Seder, saepe etiam ciuitas dicitur. De insignibus adibus dicitur, 1. Paralip. 19. Non enim est hominis בריה palatium itaque בריהו perinde est ac si dicitur, aedificauit Palatinas aedes, altas, turratas: volunt dici ab אבר, quod fortes sint. Deinde vrbes muratas ארבע, Hebr. משכבות thesaurorum, nam in munitis thesauri condebantur. Deinde milites illi non erant barbari, aut imbelles, sed אברו אברו robustis viribus vers. 14. & 16. & v. 17. ducenta millia arcu & clypeo armatorum. Vers. 18. הלחי צבא. Accincti seu expediti ad militiam, quibus verbis milites fortes, excelsi citati bene armati designantur. Quid igitur si pugnandum ei contra Alexandrum Magnum, aut Romanos potentissimos fuisset? Sane par aut superior fuisset; nam his omnibus potentior erat, quod tanto milite munitus, erat tamen diues, Vers. 7. Et factae sunt ei insigne diuitie & gloria. Quin & filiis dedit dona multa argenti, & auri, & rerum preciosarum, cum vrbibus munitis עירי מוצקות, cum vrbibus munitissimis. Perseueranter igitur praeter vrbium praedia alere potuit vnde decies centena sexaginta millia viro- rum fortium; idque fecit tempore pacis, dum opes colligit, quid igitur belli tempore? sed tamen audito vicinas gentes insurgere, timuit, ieiunium predicauit, oratione vixit. 1. Paralip. cap. 20. Hoc est quod moneo regem tam potentem, non solum suae potentiae, sed faciem suam posuisse ad querendum Deum, qui pro ipso pugnavit, illi laborem legendorum per tres dies Spoliatorum tantum reliquit. Timuit ne si Dominus non esset cum eo, omnis illa vis in se conuerteret, quemadmodum factum est in castris hostilibus. Ita enim Scriptura. 2. Paralip. cap. 20. v. 22.

Oper Roma
norum mi
litem sus
cipiant.

Tanta po
tentia im
mense non
est
insignat.

Mature est
excedenda
potentia.

Romani ta
ntum vires
conuerunt.

Quibus se
despiciunt,
neq. hostis
upat.

Tunc vici
Romani plu
re exerci
tus alunt.

diniam, Hispaniam, diuersa per terrarum orbem arma mitte-
bat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim,
vrbe in vna, insula superata est. Grande illud, & ante ad
tempus inuictum caput Syracusa, quamuis Archymedis inge-
nio defenderentur, aliquando cesserunt. Longe illi triplex mu-
rus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebra-
tus Aetnae, quid, nisi haecenus profuere, ut pulchritudini vi-
ctae vrbis parceretur? Sardiniam Grachus arripuit, nihil illi
gentium feritas, insanorumque (nam sic vocantur) immanitas
montium profuere. Sequitur in vrbes, vrbemq; vrbium Cara-
lim, ut gens contumax, viliisque mortis, desiderio saltem patrii
soli domaretur. In Hispaniam missi Cn. & Subl. Scipiones, po-
ne totam. Penus eripuerant, sed insidiis Punica fraudis oppressi
rursus amiserunt, magnis quidem illi praeliis, cum Punica opes
ceciderint: sed Punica insidia alterum ferro castra metantem,
alterum cum euassisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt.
Igitur in vltionem patris, ac patrii missus cum exercitu Sci-
pio, cui tam grande de Africa nomen fata decreuerant, bella-
tricem illam, vrbis, armisque nobilem Hispaniam, illam semi-
narium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (inre-
dibile dictu) totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas
& Oceanum, recuperauit, nescias citius, an facilius, quam ve-
lociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel vna ciuitas
probat. eodem quippe, quo obfessa est, die, capta est: omenque
Africana victoria fuit, quod tam facile victa est Hispana Car-
thago. Certum est tamen ad praefigendam provinciam ma-
xime profecisse singularem & uicis sanctitatem: quippe, qui
captiuos pueros, puellasque praecipua pulchritudinis, barba-
ris restituerit, ne in conspectum suum quidem passus adduci,
ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis, vi-
deretur. Hac inter diuersa terrarum populus Romanus:
nec ideo tamen Italia viceribus inhaerentem sum mouere po-
terat Annibalem. Pleraque ad hostem defecerant: & dux
acerrimus, contra Romanos Italici quoque viribus vrbeba-
tur. Iam tamen eum plerisque oppidis, & regionibus excuf-
seramus. Iam Tarentus ad nos redierat, iam & Capua, se-
des & domus, & patria altera Annibalis, tenebatur: cuius
amissio tantum Peno duci dolorem dedit, ut inde totis viri-
bus in Romam conuerteretur. O populum dignum orbis im-
perio, dignum omnium fauore, & admiratione hominum,
ac Deorum? Compulsus ad vltimos metus ab incepto non de-
stitit; & de sua vrbe sollicitus, Capuam tamen non omisit, sed
parte exercitus sub Appio Consule relicta, parte Flaccum in
vrbem secuta, absens simul, praesensque pugnabat. Quid ergo
miramur? momenti castra a tertio lapide Annibali, iterum t-
psos deos, deos inquam, nec fateri pudebit, restitisse. Tanta enim
ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum
violencia coorta, ut diuinitus hostem sum moueri, non a caelo,
sed ab vrbis ipsius monibus, & Capitolio videretur. Ita-
que fugit, cecidit, & in vltimum Italia se recepit sinum,
cum vrbem tantum non adortam reliquisset. Parua res
dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam sa-
tis efficax: quod illis ipsis, quibus obfidebatur diebus, ager, quem
Annibal castris infederat, venalis Roma fuit: haecque subie-
ctus inuenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imi-
tari; subiecitque Argentarias vrbis tabernas, nec secor inuen-
tus est, ut scias etiam praesagia satis fuisse. Nihil actum erat ta-
ta virtute, tanto fauore etiam deorum. Siquidem ab Hispania
Asdrubal frater Annibalis cum exercitu nouo, nouis viribus,
noua bellimole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se
cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castra metantem Clau-
dius Nero cum Luitio Salmatore debellat. Nero in vltimos Ita-
lia angulos sum mouerat Annibalem. Luitius in diuersissimam
partem, & ipsas nascentis Italia fauces signa conuerterat. Tan-
to, id est, omni, qua longissima Italia, solo interiacente, quo con-
silio, qua celeritate, Consules castra coniunxerint, inopinante-
que hostem collatis signis compresserint, difficile dictu est. Certe
Annibal re cognita, cum proiectum fratris caput ad sua castra
vidisset, Agnosco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hac fuit
illius viri, non sine praesagio quodam fati imminenti, prima
confessio. Verum nihil mirabilius quam haerente in I-
talia Hannibale mitti in Africam Scipionem.

Romani de
se solliciti
Capuanam
obsidionem
urgent.

Nimis len-
ti in obsidio-
ne Sagunti.

Miserissima
auaritia
parua.

Semifaucij
pugnare co-
guntur, qui
integri no-
lunt.

Hec ille in laudibus Romanorum suorum, & mul-
tus, & verus. At vero si initio vel dimidiū curæ, sum-
ptuumq; impendissent, facile erat illis Hannibalem
profligare, imo Africam occupare. Capta Sagunto, a-
missis ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, Can-
nas exercitibus, alienatis, captis, versis contra Roma-
nos vrbibus Italiae, vastatis agris, incensis villis, tum
demum serio pugnant, exercitus in Africam mittit.
Nonne hoc oportuit initio fecisse? Auditō Sagun-
tum obsideri, parare exercitum pro Hispania fortem,
ad excipiendum Hannibalem fortiozem, ad Africam
oppugnandam fortissimum; hoc rebus integris faci-
le erat, accisis arduum, sed tamen factum est. Maior
error Constantinopolitanorum imperatorum toto
tempore potentia Turcica crescentis, nunquā enim
serio restiterunt, sed corrigi tamen potuit circa tem-
pora obsidionis Byzantinae. Si enim vel decimam au-
torem expedere Palæologus voluisset, exercitum
ex regnis Christianis Turcico parem efficere potuisset;
sed defosso incubabant auro, quo deinde non
modo exuti sunt, sed multi etiam ad indicandum
tormentis concili. Nec minor error Christianorum
regum; sex millia Graecorum militum, tria Veneto-
rum, & Genuensium erant, in portu naues septem
Genuensium, tres Cretensium, & aliquot ex Chio,
classis Veneta spectatrix erat, & omnes principes
Christiani, qui deinde suae negligentiae magnas pœ-
nas dederunt, amissis tot regnis. Tum vero si singuli
reges, tres; singuli principes, vnam nauem; singulae
vrbes, duos milites auxilio misissent, Graciam, Ma-
cedoniam, insulas, Vngariam teneremus. Sed eodem
in errore pergitur, nec tempestiue partem opum ar-
cendo hosti damus, mox omnia daturi. Quam lenta,
accisa, nec sine duris conditionibus subsidia bello
Hungarico ante annos aliquot decernebantur? (de
illis qui clam cum Turca conspirabant non ago.) Ne-
que tamen nunc quisquam dubitat, quin occupata
Pannonia, immisissq; in Germaniam Heidonibus,
ceterisque Vngaris, omnes de omnibus fortunis &
libertate dimicaturi simus.

Si enim potentia necessaria modo pro limitaneis
principibus non conficitur, illorum prouinciis oc-
cupatis, per raptas opes, & victas gentes nos oppri-
ment; nec illa in nos mitiores erunt, sed negati auxi-
lij pœnas exigent, & quæ primum scutum erant Ger-
manici imperij, incipient esse spinæ in lateribus no-
stris. Hac generatim de potentiae necessitate, vsuq;
iusto, & tempestiuo sufficiant.

CAPVT III.

Potentia duplex: domestica, ex- terna.

Potentia
duplex.

§. 1. **D**UPLEX potentiam distinguunt politici,
domesticam, & externam. Domestica est
contra seditiones, conspirationes, rebelliones ciui-
um, quæ sunt contra Rempublicam, principem, se-
natum, aut partis alicuius contra alteram partem.
Externa contra vicinas Respublicas, aut reges ad vim
propulsandam, aut inferendam.

§. 2. Non potest esse firma potentia contra ho-
stem externum, nisi sit etiam contra internum. *Omne
enim regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra do-
mum cadet.* Tantum enim valet contra hostem ciuitas
vnita. Quocirca Romani, qui semper domi imbelles
fuere, si periculum ingrueret, dictatore facto omnes
in ordinem redigebant. Verum hac de re egi, cum de
Monarchia, deque concordia tractarem.

Domestica
potentia dif-
ficilior.

§. 3. Domestica potentia difficilius acquiritur, ser-
uaturque, quam externa. Quia multo facilius inue-

nias, qui hostem vincat, quam qui ciuem regat. Ho-
stis enim robore, stratagemate, ira, vigilantia, fraude
superari potest, cuius non nisi prudentia & virtute re-
gitur.

§. 4. Hinc nulla est potentia domestica, nisi timea-
ris, & ametis. Timeri necesse est, quia amore nemo
officium faciet, si ipse se magis amet; vnusquisque au-
tem sibi magis conciliatus est, quam alteri. Cum igitur
se res dabit, vt suo periculo, sumptu, labore tua
prosperitas querenda sit, à se quisque charitatem in-
choabit, & principem postponet. Amari tamen ne-
cesse est. Si enim in periculo sit princeps, senatus, res-
publica, nemo metuet; nec enim timemus eos, qui
sibi timent, & magnis in rerum difficultatibus ver-
santur: cum igitur per contemptum est sublatus me-
tus, si non fuerit amor, omnino deferent, quem
nec amant, nec metuunt, & si forte oderunt, perse-
quentur.

§. 5. Mihi si vera libere proloqui necesse est; Vi-
detur stultissima omnium cogitatio, qui potentiam
ambiunt, nam si ad publicam tantummodo salutē,
aut diuinam gloriam potentes esse cupiunt, vt bonos
tueantur, improbos compescant, regum animum
laudo; quia iustitia vitam impendit. *Omnis enim po-
tentia brevis vita.* Ecclesiastici cap. 10. v. 11. Pauci prin-
cipum non Christianorum à suis tuti fuerunt, pleri-
que occisi, nullus omnino, qui modo gustant im-
perium, qui non insidias multas, conspirationesque
pertulerit. Quod ego multis demonstraui, nunc
itaque de potentia acquirenda, augendaque pertra-
ctemus.

CAPVT IV.

Potentia in quibus consistat, & de eius capite, quod est auctori- tas.

§. 1. **V**IRES Reipublicæ in pietate, & virtutibus
consistunt. Deinde in illis quæ virtutes con-
sequuntur in principatu. Quorum primum est au-
thoritas, seu fama & maiestas, deinde amor ciuium.
Tertio, opes, arma, viri, arces, vrbes; hæc enim pru-
dentissimi regum ad præsidia subditorum institue-
runt. Nunc de auctoritate agamus.

§. 2. Auctoritas cum preesse apud Romanos acci-
pitur, est iudicium senatus, cum vel ob paucitatem se-
natorum, vel tribunitiam intercessionem, aliamue
ob causam senatusconsultum fieri non poterat, Gra-
cum nomē habere negant; nam à *u dēv nā* maius quid-
dam est, & à *u dēv nā* plus quam auctor. quandoqui-
dem, & in iure ciuili, & in communi sermone à *u dēv nā*
dicuntur ea, quæ nō semiplenam auctoritatem ha-
bent; seu quæ à summo magistratu confirmata, & ra-
ta sunt. nam reuera à *u dēv nā* in iure, si non sit *u dēv nā*
à *u dēv nā* ex plena potestate, inanis est: perscriptæ
enim auctoritatis nulla hodie est, vt ita dicam, aucto-
ritas.

Auctoritati affinis est maiestas, non enim stricte
de maiestate agimus, quæ quinque capita amplecti-
tur, ius legum ferendarum, antiquandarū, belli & pa-
cis; tributorum, monetarum; conferendorum ma-
gistratuum. Sed auctoritatem, & maiestatem prin-
cipis pro eius æstimatione, fama, & vt nunc loquuntur,
bona reputatione accipimus, quæ quidem contem-
ptui opponitur, sed tamen plura complectitur, amo-
rem, famam, laudem, timorem, reuerentiam, & bo-
na quibus ista gignantur. Est vero potentissimus ille
princeps, qui subditos suos potestate paternā, alie-
nos fama & exultatione addictos habet.

§. 3. Fa-

Domestica
potentia fun-
damentum
amor & ti-
mor.

Sibi poten-
tiam opta-
re dama-
bile.

Auctoritas
magnum
adiumentū
Reipublicæ.

Dignitas
est vici-
superior.

Fama
tunc p-
tur.